



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

38. Diliges proximum tuum sicut teipsum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

## 38. Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Charitatis  
ordo de-  
fenditur.

**H**OC quoque præceptum suo fermento corrumpit Calvinus. Negat enim ordinem charitatis, quem perspicue præceptum ponit, videlicet ut dilectio respectu proximi incipiat à seipso. Sic enim scribit. *Quum proximos sicuti nos ipsos diligere iussit Moyses, noluit amorem nostrum priore loco statuere, ut quisque seipsum prius amet, deinde proximos, quemadmodum Sorbonici sophistæ cauillantur, regulatum inferius esse sua regula, sed quum simus nobis nimium dediti, Moyses vitium hoc corrigens, proximos nostros æquali gradu statuit, ac si vetaret unumquemque alijs neglectis habere sui curam, quia charitas in unum corpus omnes coniungit. Et *omnium corrigens, que alios ab alijs separat, singulos ad communem societatem, & quasi mutuum complexum reducit.* Hæc ille. Homo reprehendendi avidus, reprehendit quod nescit. Nescit enim à scholasticis, quos hic Sorbonicos sophistas vocat maledicendi cupidus, communem illam societatem & mutuum complexum omnium proximorum disertè in hoc præcepto doceri, sed quia in ipsa societate communi, casus frequenter accidunt ut omnibus ex æquo subueniri nequeat, diligenter ab illis quæri, quis sit præcepti huius sensus in casibus huiusmodi: An te & proximo æqualiter periclitante, quum utriusque subuenire nequeas, prius ne tibi prospicere debeas an proximo. An etiam meliore te periclitante, teipso neglecto illi iuare tenearis. *Proximus diligitur* (ait S. Thom.) *secundum rationem societatis in bono.* id est, dilectio proximi docet socialem & communem esse debere dilectionem nostram, non priuatam, in eo bono quod ipsi rectè & ordinatè diligimus, videlicet in Deo.*

In Sum-  
ma 2.2.  
q.26.  
art.4.

Corr

Confociatio autem ista est ratio dilectionis secundum quam-  
dam unionem in ordine ad Deum. Vnde sicut vnitas potior  
est quam vnio (nam ab vnitate vnio incipit, & prin-  
cipium semper in suo genere cæterorū caput est)  
ita quod homo ipse participet bonū diuinū (in qua parti-  
cipatione potissimum proximus diligitur) est po-  
tior ratio diligendi, quàm quod alius associetur sibi in hac  
participatione. Hæc explicatio non tollit mutuum  
complexum in hoc præcepto positum, sed in hoc  
complexu quis ordo sit tenendus, præterea do-  
cet: vt frustra propter vnum aliud conuellere  
Calvinus conetur.

## IN MATTHÆI CAP. 23.

2. Sederunt super cathedram Moysi Scribæ &  
Pharisæi. Quæcunque ergo dicunt, facite  
& seruate.

**T**ORSIT hic locus Calvinum, omnes-  
que hæreticos torquet, qui *cathedram con-*  
*tra cathedram, & altare contra altare erigunt, vt*  
veteres piè & grauitè loquuntur. Docet quippe  
disertissimè Christus audiendos esse qui cathedrâ  
tenent, id est, qui potestatem docendi legitimam  
habent, vtcunque aliter ipsi viuant quàm docet:  
quod illis quidem summū dedecus ac vituperium  
est; ouibus autem & subditis nullum impedi-  
mentum esse debet, quo minus rectæ & sanæ eorum  
doctrinæ acquiescant. Versat itaque se hic in om-  
nem partem Calvinus. Nec apertam veritatem  
disiteri potuit, nec à loci tamen corruptela abs-  
tinere voluit. *Sedet (inquit) in cathedra Moysi, qui*

Episcopa-  
lis & pa-  
storalis  
authoritas  
defendi-  
tur.